



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE ET VENIT\***SERVO DEI ALOISIO VARIARA, SACERDOTII  
S.D.B.,

**BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. — « Et venit ad eum leprosus deprecans eum et genu flectens et dicens ei: Si vis, potes me mundare. Et misertus extendens manum suam tetigit eum et ait illi: Volo, mundare. Et statim discessit ab eo lepra, et mundatus est » (*Mc 1, 40-42*). Miseratio Iesu erga leprosum radix dici potest fuisse vocationis Servi Dei Aloisii Variara, qui totam impendit vitam leprosis levandis. Natus est in Astensi pago vulgo *Viarigi* die XV mensis Ianuarii anno MDCCCLXXV; piissimi parentes christianis moribus educaverunt eum. Duodecim annos natus translatus est in locum *Valdocco* ut studia pergeret. Intensus contuitus, quem Ioannes Bosco, post tres menses obiturus, ad eum conicit, aditum aperit illi ad Oratorium, et ulterius ducet eum ad Societatem Salesianam Sancti Ioannis Bosco. Novitatum inchoat die XVII mensis Augusti anno MDCCCXCI et sequenti anno die II mensis Octobris coram beato Michaële Rua perpetua nuncupat vota. Duobus elapsis annis, ad missiones proficisci cupiens, in Columbianam destinatur ad pagum vulgo *Agua de Dios*. Inibi florentis iuventutis vires insumit pro octingentis aegrotis ibi degentibus, qui magni habent eius musicas dotes. Cantu, arte musica, symphonico coetu, spectaculis usus, laetitiam seminat in « urbe doloris » quam vocant. Sacerdotio insignitur die XXIV mensis Aprilis anno MDCCCXCVIII. In pastorali explendo opere conspicua spiritalique eminet prudentia, quae peculiarem in modum in sacro reconciliationis ministerio nota redditur. Detegens apud leprosas suas paenitentes desiderium Domino se vovendi, audacter cogitat de condenda religiosa Congregatione ubi mulieres lepra quoque correptae excipi possint. Ita initium capit Institutum Filiarum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae. Eodem tempore strenue sese offert suis praedilectis leprosis, pro quibus condit Orphanotrophium « Michele Unia » cum scholis variis artificum. Dum vero integris viribus actuositatem explicabat, amotus est ab illo pago *Agua de Dios* et translatus in diversas sedes suae Provinciae religiosae. Solida tamen fide suffultus, sereno animo percurrit illam acerbam « Viam cruci s » (quae usque ad extremum spiritum protrahetur), omnino fretus « omnia a Deo procedere et ad Eum ducere », uti quodam die dixerat cum falso certior factus est seipsum lepra affectum esse. Per hanc immolationem plene conscius redditur se vividum perhibere testimonium charismatis Instituti a seipso conditi. Salesianae spiritualitati, quam pro iuvenibus vivit, adiungit spiritualitatem oblationis sacrificialis. quam uti notam peculiarem filiabus suis transmittit. Eius desiderium animas in « victimas » transformandi exemplo nititur Venerabilis Andreae Beltrami, martyris silentio patientis, quem in loco vulgo *Torino-Valsalice* cognovit annis MDCCCXCII-MDCCCXCIV. Die I mensis Februarii anno MCMXXIII vita fungitur in loco *Cucuta*, longe a leprosis et a filiabus suis, sicut ex oboedientia statutum fuerat: et a die XVII mensis Novembris anno MCMXLI exuviae quiescunt in sacello sororum eius in pago *Agua de Dios*. Increbrescente sanctitatis fama, Archiepiscopus Bogotensis Causam inchoat anno MCMLIX. Nosmet ipsi die II mensis Aprilis anno MCMXCIII agnovimus virtutes eius heroico gradu exercitas esse. Apud Curiam archidioecesanam Taurinensem anno MCMXCVIII instructa est Inquisitio de quodam miro anno MCMLXXXIX patrato et intercessioni Servi Dei adseripto. Decretum de miraculo Nobis coram prodiit die XX mensis Decembris anno MMI. Idcirco

statuimus ut ritus Beatificationis Romae perageretur die XIV mensis Aprilis anno MMII. Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vatieanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formularum: Nos vota Fratrum Nostrorum Michaëlis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixienensis, Petri Cardinalis Rubiano Sáenz, Archiepiscopi Bogotensis, Caroli Iosephi Nájñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, Marcelli Angeli Melani, Episcopi Neuqueniani et Administratoris Apostolici Viedmensis, et Romani Arrieta Villalobos, Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium exoptantes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Caietanus Errico, Ludovicus Pavoni, Aloisius Variara, Maria a Transitu a Iesu Sacramentato, Artemides Zatti et Maria Romero Meneses Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caietani Errico die vicesima nona Octobris, Ludovici Pavoni die vicesima octava Maii, Aloisii Variara die decima quinta Ianuarii, Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato die vicesima quinta Augusti, Artemidis Zatti die decima quinta Martii, et Mariae Romero Meneses die septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Praestabilis hic vir, quem Nos Ipsi debita sumus venerati devotione, totam suam vitam Domino Deo omnino addixit ac perquam studiose pauperibus inservivit, insignes praebens religiosae pietatis operumque bonorum testimoniationes. Exoptamus igitur ut huius beati caelitis patrocinio exemplisque homines qui nunc sunt transitura posthabeant et ad superna usque contendant. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis, anno MMII, Pontificatus Nostri vicesimo quarto. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

---

SODANO

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, pp. 574-576 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana